



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XX. Eliacimus Helciae filius,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO IX

Matth. 5.17. & de celo non semel testatus est, cum diceret: *Hic est Filius meus dilectus, in quo misericordia placuit; ipse se à Deo Patre suo dilectum esse Iesus saepe declaravit.* נָאכַד пратер-
ea, hoc est, εὐαγγελιστής, seu Concionator cognominatus est Salomon; quod quam
Christo Iesu, convenient cognosci potest ex Parallelismo tricesimo quinto capite. Sa-
lomon ædificavit Templum Deo; Iesus Ecclesiam. Davidis filius uterque, uterque
rex. Regina illa Saba, quæ Salomonis fama excita venit ad eum, ejusque sapientiam
& opes mirata est, Ecclesiam refert, quæ Ethnicis fere confitata, Iesu doctrina, vir-
tutibus, & gratia capta ei sese applicuit.

Jonah, 1. In Jona lui propositum esse figuram palam Iesu declaravit. *Sicut enim,*
inquit, fuit *Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*, sic erit *Filius hominis*
Matth. 12. 39. in corde terra tribus diebus & tribus noctibus. Habes hic itaque eximum Jesu ad vi-
tam redeuntis simulacrum. Jonas fæiente tempestate, & nautis de vita sollicitis,
dormit securus, quod & Christo contigit. Jonas pro nautarum salute mittitur in
Col. 1. 19, 20. mare, silent fluctus, & tempestas sedatur: in Jesu complacuit omnem plenitudinem
habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive
que in terris, sive que in celis sunt. Nauta Jonam in mare missuri Deum orant ne
sibi criminis detur viri innocentis interitus: Quossumus, Domine, ne pereamus in anima
viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: Pilatus Iesum letho daturus, acce-
pta aqua, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine Justi hujus: vos
videritis. Sic de se ad Deum Jonas in ventre ceti: Abiectus sum à conspectu oculorum
tuorum: sic de se ad Deum Iesum in cruce: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti
me? Jonas maris periculo functus Ninivitas ad obsequium Dei compellit: gentes post
vitam à Iesu receptam, ad Dei cultum vocantur. Jonas concionator, perinde ut
Iesus. Ad paenitentiam Ninivitas hortatur Jonas: Paenitentiam agite, inquit Jesus, ap-
propinquavat enim regnum celorum.

Eliacimus X. Apparet itidem in Eliacimo Helcie filio Iesu Christi imago: nam quæ de
Helcie filius, Eliacimo dixit Iesaias, huic datum iri clavem David, idem Christo accommodat An-
no 22. 15. &c. gelus Ecclesiæ Philadelphie, apud Johannem in Apocalypsi: *Hec dicit Sanctus & Ve-
rus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit;* quæ
ex Ilaia 22. 25. & 26. sumta sunt. Scribit præterea Iesaias Sobnam regia Ezechie pœniten-
tia, cum officio suo nequiter abuteretur, magistratu abdicatum fuisse, suffecto
Eliacimo, viro frugi & pio: hac figura est veteris Legis, priscique Pontificatus Aar-
onici, quo impie abusi sunt nefarii Sacerdotes, eoque abrogato, nova lex, & sacer-
dotium secundum ordinem Melchizedec, priore melius, per Christum introducitur.
Ila. 22. 17, 19. Sic Iesaias ad Sobnam: *Ecc Dominus aportari te faciet, sicut aportatur gallus gallinaceus,*
Dan. 9. 16. & quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione; quasi mistet te in
Ila. 22. 19. &c. terram latam & spatioam; ibi morieris, & ibi erit currus gloria tua ignominia domus Do-
mini tui. Scilicet hoc est quod pleno ore decantarunt Prophetæ, sedibus suis de-
pulsum iri Israëliticam gentem, & in variis orbis partes dissipatum. Nos eorum re-
præsentamus testimonia in Parallelismo, ubi agimus de abrogatione Mosaïcæ Legis,
de novæ legis sanctiōne, & de dispersione Judæorum. Unum hic dabimus pro multis,
de promtum ex Daniele: Et Civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo:
& finis ejus usq[ue] statu[m] belli statutu[m] desolatio & in dimidio hebdomadis
deficit hostia & sacrificium. Subjicit Iesaias: Et expellam te de statione tua, & de ministe-
rio tuo deponam te: & erit in die illa, vocabo seruum meum Eliacim filium Helcie, & in-
duam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus ejus:
Ezech. 34. 6. & & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda. Similibus minis Israëliticos
proceres incesebat Ezechiel, cum diceret: Hec dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super
pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascent
amplius pastores semetip[s]os, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis
in escam. At de Christo Iesu sic Paulus in Epistola ad Ebraeos: Nunc autem melius
sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repro-
missionibus sanctum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquire-
retur. Servum suum Deus Eliacimum appellat, quemadmodum & Christum alii apud
Ilaiam locis: Ecce servus meus, suscipiam eum. Deinde: Vos testes mei, dicit Dominus,
& servus meus quem elegi. Sic Iesus ipse de se: Filius hominis non venit ministrari, sed
ministrare. Rursum: Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Non Dei
solum servus, sed & hominum. Prædicti deinde Iesaias futurum Eliacimum Hierosolymitarum & Judæ domus patrem: paternos suos affectus erga Hierosolymitas his
verbis testabatur Iesus Dominus: Ierusalem, Ierusalem, quæ occidit Prophetas, & lapi-
das eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina con-
gregat pullos suos sub alas, & noluisti? Filiolos etiam Discipulos suos appellat: Filioli,
Ila. 42. 1.
Ila. 41. 10.
Matth. 20. 18.
Luc. 22. 27.
Ila. 22. 21.
Matth. 23. 32.
Cib. 13. 33.

ad hunc modicum vobis sum. Sed & Pater futuri seculi dicitur ab Isaia. Clavis ista 16, 22, 23, 24 domus David, Eliacimi humero imponenda, symbolum erat munera ipsi traditi, ejus nimis quod ante gesserat Sobna. Fuerat autem ille נָבָנִי, ut hoc ipso loco doceret Isaia. נְכֹזֶר ærari tribunum, & regie gazæ custodem interpretor, cuius officium insignis erat clavis. Praeterea id in Christum Jesum convenit, qui habet claves mortis & inferni, qui Petro tradidit claves ecclesiæ, thesauro aeternorum penitus, quod fur non appropiat, neque rixa corruptum, quod & ipsum simile est thesauro in agro abscondito. Quin etiam Colossenses docet Apostolus, in Christo Iesu absconditos esse thesauros omnes sapientiae & scientiae. Addit Isaia: Et sigam illum paxillum in loco fideli: quibus regni Christi diuturni ac firmitas significantur. Hanc itidem prædictum Psaltes: In aeternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidèle ipse: & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies aeterni. Inde Angelus ad Mariam de Iesu: Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis. Pergit Isaia: Et eris in solium gloriarum domus patris ejus. Confonantur ipsis verba Iesu: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio: potissimum vero haec: Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus Ioh. 13, 31, 32. clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.

XXI. Cerneret licet & in Jeremia expressam Christi Iesu imaginem. Nam pri- *Jeremias* munum sanctitate prædictus est uterque, priusquam ab utero matris in lucem exiret. Virginitatem uterque coluit. Uterque etiam puer populi docendi munus execui aggressus est. Uterque ab idolorum cultu multos ad veram pietatem traduxit. Utique pietas sua & beneficentia fraudi & ignominiae fuit, cum à suis, quos à sceleribus retrahere & imminentibus calamitatibus subducere volebant, pessimis modis accepti sint. Uterque summa patientia & lenitate inficiatas sibi poenam tulit. Uterque percuti toribus suis & vexatoribus à Deo veniam precatus est. At utriusque demum vicem Deus, excisa gente, severissime ultus est.

XXII. Magnum etiam in Zorobabele Iesu Christi instar fuit. Davide prognatus uterque fuit. Ille Babylonica captivitate liberatis Judais, & Hierosolymam redeuntibus, ducem se præbuit: hic homines, mundi hujus, quem propter confusione memrito Babylonem dicas, vinculis exemptos deducit in patriam, ecclæstem nempe Jerusalem. Templum Hierosolymitanum instaurat Zorobabel: Ecclesiam Dei ex vivis lapidibus Jesus extruit. Oriens appellatur Zorobabel apud Zacharium, item Lapis *Zorobabel,* cui inesse dicuntur oculi septem, cujus temporibus futurum promittitur ut terræ criminaria auferantur, ut gloria floreat ipse, ut sedeat in solio suo, teneat imperium, & alta pace componat: qua Christo ut convenient, scripsi potest ex Parallelismo nostro, in quo Orientis & lapidis symbolis agnoscitur, pacis auctor esse ostenditur, ei que gloria ingens ac imperium aeternum spondetur.

XXIII. Denique Iesum Josediciden, & Christum Jesum componit inter se Eu- *& Iesu Iose-* sebius ad calcem libri quarti Demonstrationis Evangelicæ. Ea nos adjectis nonnullis decerpimus. Nomen primo utrique idem. Pontifex uterque, quod de Christo declaratur in Epistola ad Ebraeos, & à nobis in Parallelismo. Adversatur utrique Satan. Ille Babylone redeuntium in patriam Iudeorum cum Zorobabele dux fuit: hujus ductu mundi hujus captivitate liberati homines ecclæsum pertunt. Ille vestibus induitus est fordidis: hic peccata nostra ipse tulit, humanum & infirmum corpus subiit, ac supplicii demum ignominia fecundatum. Ille noxis purgatus novas vestes ac mundas induit, eique cidaris imposta est: Christus mundo, morte, peccato, ac Diabolo edomitis, veste immortalitatis assumta, & diademate suscepit triumphat, & coelo invehitur. Iesu Josedicida ait Deus: *Judicabis dominum meum, & custodies atria mea:* Christum Deus orbis universi judicem constituit, ut in Parallelismo docuimus, totiusque Ecclesia custodem præposuit. In Templo reparando socium Zorobabeli se præbuit Josedici filius: Ecclesiam, Dei vivi Templum, Christus ædificavit. Praeterea sane est, & proposito nostro conveniens illud Hieronymi: *Unus atque idem est Dominus noster atque Salvator, Rex & magnus Sacerdos;* cuius typum, secundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel; secundum id autem quod Pontifex erat, portabat cognomis ejus: *Iesus.*

